



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomæ Młodzianowski, Poloni, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Peccatis Et Gratia, Fide, Spe, Et Charitate

Młodzianowski, Tomasz

Moguntiae, 1682

Quæstio II. De Actu Fidei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82969](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82969)

OBJICIENS Secundò. Si etiam actus remissio augetur habitus, sequitur, quòd si unus mereatur uno instanti, & alius decima parte quadrantis, quòd hic posterior superaret priorem infinitis gradibus gratiæ: superaret enim duratione actus, infinitè pluribus instantibus.

RESPONDETUR. In sententia Aristotelis non componi durationem quadrantis, infinitis instantibus. Deinde dici potest in merito non attendi ad durationem physicam, sed ad moralem: quia ipsa ratio meriti, est moralitas quædam.

OBJICIENS Tertiò. Si gratia & habitus intenditur etiam remissis, sequitur infinitum augmentum Sanctitatis.

RESPONDETUR. Sicut nec actus sunt infiniti, ita nec augmentum illis respondens erit infinitum. Dicunt etiam alii, augeri tunc gratiam non arithmetice.

Ex occasione de Intensione habituum inquiri potest: An intensio gratiæ, & intensio aliarum virtutum, sint æquales, ita, ut quot sunt gradus gratiæ, tot sint aliarum singularum virtutum. Affirmat Cajet. Quar. Tan. Kon. Sal. Sfor. & Gran. dicit hoc esse indubitabile, docetq; Rip. d. 28. & desumitur ex S. Thoma 3. p. q. 89. a. 2. in fin. (.) Oppositum docet Sot. & Vict. Vasq. etiam & Aragon, putant fidem & spem, non tendi nisi per proprios actus. Pro sententia Affirmante Rationes format Ripal. Tum quia Trid. Sess. 6. cap. 1. describens incrementum in gratia, dicit hoc incrementum peti in illa oratione: *Danobis Domine fidei, spei, & charitatis augmentum; ubi incrementum Justitiæ, explicat per incrementum aliarum virtutum.* Tum quia, si posita gratia ponuntur necessariò habitus infusi. Ergo & aucta augentur: passionibus enim sequuntur conditionem naturæ. Tum quia rationes in oppositum non convincunt: quòd enim dicunt hominem, non per quemlibet actum reddi magis fidelem: redditur enim magis fidelis habitualiter. Et quamvis major sit proportio actus ad suum habitum, quàm ad alios comparatos, habet tamen etiam cum illis mediante gratiæ nexum, quæ aucta, exigit suarum passionum augmentum.

Haftenus dicta quasi in universali de habitibus, debent intelligi proportionaliter de Fide.

QUÆSTIO II.

De Actu Fidei.

SANCTUS THOMAS accommodans se phrasi Aug. L. de prædest. SS. cap. 2. docet, quòd credere, sit cum assensione cogitare. Ubi per Ly assensione, distinguitur fides à quocunque assensu evidenti. Ly enim assensio, sumitur hic, pro libera & à voluntate imperata adhesionem in-

tellectus. per Ly autem cogitare, distinguitur fides à visione Beata, &c. Cogitatio enim dicitur quid imperfectum, & nondum formatum per plenam veritatis visionem: quando enim possidetur Verum, non dicimur cogitare, sed scire, propter quam imperfectionem, non vocatur secunda Trinitatis persona Cogitatio Patris, sed Scientia, Verbum, &c. Additamen aliquid debet huic definitioni, ne coincidat cum fide Humana. Reflexendo ad doctrinas supra positas sic definitur Actus fidei. Quòd sit Judicium supernaturale, immediate innitens veritati primæ, obscurè attestanti. Sicut fides pro habitu sumpta est Qualitas supernaturalis principiativa actuum assentiendi, propter veritatem primam obscurè attestantem. Et hæc de definitione Actus Fidei.

Quod attinet ad divisionem actus fidei. Celebris est illa divisio, Credere Deo. Credere Deum. Credere in Deum. Primum significat habitudinem ad Deum, tanquam formale motivum assentiendi. Secundum habitudinem ad Deum tanquam ad Obiectum materiale. Tertium habitudinem fidei ad Deum ex imperio Charitatis, quæ charitate quia destituti peccatores Credunt in Deum hoc sensu: quia gratiæ adjuti, habent efficacem intentionem subdendi sese Deo per fidem: aliàs non possent dicere, Credo in Deum. Ad quæstionem illam, an dici possit nos credere in Ecclesiam? Respondetur, si per credere in aliquem, velis significare subjectionem intentionalem alicui, tanquam ultimo fini, sic non creditur in quidquam, nisi in Deum. Si autem per Ly credere in Deum, notetur habitudo ad obiectum quod creditur, & circa quod exhibetur actus fidei, vel habitudo ad eum, cujus dictis fides exhibetur, in hoc sensu clarum est, non soli Deo nos credere: expressè enim dicit S. Paulus epist. ad Philem. *Gratias, inquit, ago DEO meo audiens fidem, quam habes in IESUM CHRISTUM, & in Sanctos ejus.*

Circa alias divisiones fidei, quæ dici possent, alibi suppono tractata; hoc, de ipso actu fidei tractandum, relictum est: An Actus fidei sit discursivus.

DIFFICULTAS I.

Premittuntur quædam, An Actus Fidei sit discursivus?

PRÆMITTO Primò. De duplici discursu fidei institui posse quæstionem. Primò. An fides sit discursiva discursu virtuali: nomine discursus virtualis intelligendo, quando scilicet uno indivisibili actu, assentitur quis uni propter aliud. Secundò. An sit discursiva discursu formali, qui fit per distinctos realiter actus, involventes assensum unius, propter aliud.

(9) 4

PRÆ-

PRÆMITTO Secundò, *Quoad hoc punctum divisos esse Auctores.* Nam Kon. d. 9. dub. 7. etiam virtualem discursum negat fidei. Hurt. d. 39. §. 23. & 34. docet eadem incommoda sequi, si concedas fidem esse formaliter discursivam. Jam autè negato formali discursu fidei, tribuunt virtualem, post alios Rec. Suar. de Anima tr. 3. d. 3. n. 190. & Hurt. ut in philos. Formalem discursum fidei negat. Cajet. Ban. Suar. Gran. & alii. Concedunt Valsq. Bec. R. pal. Lugo d. 7. Sect. 1.

PRÆMITTO Tertio. *Rationem tam discursus virtualis, quam formalis dupliciter spectari posse.* Primò. Discursus virtualis potest sumi in quantum est assensus ex duabus præmissis uno actu & eodem, cum ipsa Conclusionem conceptis, ita tamen, ut innitatur præcisè, ipsi etiam bonitati illationis & connexionis unius cum alio, tanquam rationi formali partiali assentiendi: Et hæc potest appellari ratio discursus virtualis, quâ discursus est. Secundò accipi potest discursus tam virtualis, quam formalis, ita tamen, ut in utroque fiat assensus non propter se, sed propter aliud, connexionem nihilominus illa, non habente rationem movendi, nec faciente motivum formale, & hæc ratio formalis, appellari potest discursus specificativè & materialiter acceptus.

PRÆMITTO Quarto. *Connexionem adhuc ipsam dupliciter spectari posse.* Primò. Connexionem quasi merè Logicam, hoc est, prout innitentem merè principiis Logicis, dicto de omni, vel Metaphysicis. Quæ sunt eadem unitertio, &c. Secundò potest spectari connexio dicti & dictionis, mobilis & motivi, quæ in hoc stat; quod revera ratio formalis motiva, objecto sit conjuncta, quas duas connexiones esse distinctas, vel ipsæ earum resolutoria ostendunt; & inter alia, quia intervenit in Fidei actus, ut dictum supra, quo resolvat se, ut si per impossibile alterutrum illorum motivorum deleteretur, esset, potius deleteret connexionem illam Logicam, quam connexionem hujus dicti à Deo, cum hac dictione à Deo.

PRÆMITTO Quintò. *Ipsam connexionem dicti & dictionis dupliciter spectari posse.* Vel prout est in re, vel prout subest modis nostris concipiendi. In re illa connexio est dictio Dei, & objectum, quod dicitur; ita se habens, ut dicit illa locutio divina. Vel accipi potest connexio prout subest nostris conceptibus, sic sumpta est unio quædam, quæ annectit dictionem Divinam & objectum; sic sumpta non est motivum fidei: quia istud motivum, non dependet ab istis entibus Logicis, sicut nec aliæ rationes movendi.

PRÆMITTO Sextò. *Per omnes debere dari aliquos actus fidei, qui non sint discursivi.*

RATIO. Quia etiam in aliis habitibus noscivis, devenire est ad actus, qui ulterius discursu

non noscuntur, nempe ipsa principia; & si illa ipsa per discursum noscerentur, de illo ipso, per quod noscerentur, quærete restaret, an per aliud noscatur. Si non per aliud. Ergo venit jam ad aliquid, quod non noscitur propter aliud; si per discursum, nisi eatur ad processum infinitum, deveniri debet ad aliquid non noscibile per aliud, sed per se.

PRÆMITTO Septimò. *Non esset tantam in hac difficultatem, quod fides sit discursiva virtualiter, accipiendo discursum virtualem materialiter.*

RATIO. Quia discursus virtualis, acceptus materialiter, non aliud est, quam assentiri propter aliud; sed etiam in fide hoc est; siquidem Incarnationi assentimur non propter illammet ipsam, sed propter revelationem. Cæterum virtualem discursum accipiendo, secundum quod suo modo innititur saltem partialiter bonitati Consequentia; sic fides non potest esse discursiva formaliter: non enim est major ratio unius, quam alterius. Unde vides rationem discursus materialis, peti præcisè ex assensu, non propter se; ratio autem formalis, petitur ex innitentia principio, cæteroqui non revelato. Unde jam tunc tali virtuali discursu concessio in fide, si ille simul in se contineat tres propositiones distinctas realiter, in hoc erit similis actus ille fidei discursui etiam formali? quia sicut hic continet tres propositiones distinctas realiter inter se connexas, ita etiam actus fidei, potest continere tres actus dicentes connexionem inter se, ratione ultimæ resolutionis. In hoc autem erit disparitas, quia discursus formalis, attendit ad connexionem Logicam, quâ talem, &c. Jam autem ille actus fidei, attendet præcisè ad connexionem dicti & dictionis. Rursus in discursu formali ipsa bonitas illationis erit partiale motivum, in actu fidei habebit se non nisi per modum applicantis. In hoc etiam erit similis discursui: quia non habebunt se tres propositiones, quas continet Syllogismus Fidelis, sicut scopæ dissolutæ, & objecta disconnexa, quæ accedente Logicâ non possint Syllogismum ingredi. Jam autem non sic est, in materiali discursu, quem concedimus fidei: quia has tres propositiones, Quod Deus dicit est verum, Incarnationem dicit, Incarnatio est vera, necit Logica; estque hic ipse Formaliter, Syllogismus quem appellamus Fidelis; licet pro varietate materiarum mutet subiectum Minoris & subiectum Conclusionis. *His præmissis. Sit*

DIFFICULTAS II.

An Assensus Fidei possit esse formaliter discursivus?

DISCENDUM est. *Fidem non posse esse discursivam formaliter.*

PRO-

PROBATUR Primò. Quia si Fides esset discursiva formaliter, inniteretur bonitati Consequentiae, saltem tanquam partiali motivo, in hoc enim sensu hic disputatur: sed nullo modo potest inniti bonitati Consequentiae: quia hoc ipso & esset ille actus fidei, ut supponitur; & non esset, quia non inniteretur specificativo fidei, quod est dictio Dei, quae nunquam est formata de principio, quae sunt eadem, vel, dici de omni. Cumque assensus sequatur debiliorem partem, etiam assensus innitens partialiter motivo non revelato, non erit actus fidei.

RESPONDET Primò Lugo. Rerorquendo Argumentum: etiam positò, quod fides sit non nisi virtualiter discursiva, etiam in virtuali discursu, debet inveniri suo modo ratio illationis unius ex alio.

CONTRA quia in superioribus hoc sensu admisimus discursum virtuale, in quantum scilicet praebeatur assensus objecto alicui fidei non immediate propter se; sed non est discursiva virtualiter. Fides accipiendo rationem discursus, pro ratione innitendi bonitati Consequentiae.

RESPONDET Secundò Idem. Assensum fidei fundari partialiter in bonitate Illationis formalis, vel virtualis. Neque inde fit assensus Incarnationis fundari in aliquo naturali cognito: Nam licet illa bonitas illationis possit cognosci naturaliter, sicut veracitas Dei, ceterum sicut ipse habitus fidei, concurret ad cognoscendam veracitatem Dei, quatenus necessaria est ejus cognitio, ad cognoscenda Mysteria revelata. Sic etiam a fortiori concurret ad cognoscendam bonitatem illationis, idque actu supernaturali. Et per Ly *Soli revelationi innititur fides* non excluditur, quod essentialiter involvitur in assensu fundato in Auctoritate Dei; ad eum modum, quo dicimus credidisse nos Auctoritati soli Petri, & tamen concedimus, intervenire illic discursum formaliter. Quae bonitas illationis, non solet appellari motivum, ut quod, sed, ut quo: quia est quae applicat, & conjungit motivum, ut quod, ut possit sufficienter movere.

CONTRA Tum quia. Si assensus ille procederet immediate à principio naturali, non esset assensus fidei Divinae. Ergo etiam si procedat ex motivo non revelato: utrumque hoc enim aequè requiritur, nempe & principium supernaturale, & motivum revelatum. Tum quia redit Argumentum Bonitas illationis, quam tu dicis attingi actu supernaturali, orto ab habitu fidei, vel innititur motivo, quod est revelatio; vel non innititur motivo, quod est revelatio. Si primum, Ergo bonitas illationis est revelata. Ubi autem? Si secundum, quomodo actus ille erit actus fidei? siquidem innitetur saltem partialiter ei, quod est solo lumine naturae notum. Tum quia. Quando concurret habitus fidei ad assensum de veracitate Dei, cui naturaliter aliis

assentiri possemus, adhuc salvatur ratio formalis fidei: quia ut aliàs dictum, assentimur illi principio, quia dixit se veritatem, nihil autem dixit Deus de principio, quae sunt eadem, &c. Tum quia, Nego, quod in assensu fidei essentialiter includatur assensus bonitati illationis: nihil enim repugnat ex dictis supra, ut dicat fidelis, quamvis per impossibile falsum esset Principium: Quae sunt eadem uni tertio, &c. adhuc crederem. Tum quia, quamvis fides nostra moveatur à connexionione cum Auctoritate Divina, non movetur à connexionione Logica, sed à connexionione dictis & dicentis. Tum quia, Etiam in fide humana, interventio discursus formalis, destruit rationem præcisam fidei: vi enim discursus, scitur non creditur. Disparitas etiam est, quia cum illa assensus non sit certissimus; poterit alia motiva, quae de genere suo non sunt certissima assumere, quibus adhuc promoveretur in bono assentiendi; fides autem divina, cum sit de genere suo certissima, non potest assumere etiam pro partiali motivo bonitatem illationis, quae non promoveret rationem assensus certissimi, sed dejicit. Tum qui, Si per rationem formalem ut quo, non aliud intelligitur, quam ratio applicativi, cum aliàs dixerimus etiam in assensibus intellectivis, rationes applicantes distinguì à ratione motiva, hoc ipso sequetur, quod bonitas illationis, non sit motivum etiam partiale fidei.

RESPONDERI potest Tertiò ex eodem. Non repugnat fidei, ut refundatur in aliquid, quod non sit revelatum: nam ipsa veracitas Dei, non creditur propter revelationem, licet repugnet fidei, ut refundatur assensus Mysterii in lumen naturae, hoc est, in aliquid, cognitum non nisi per actum naturalem.

CONTRA. Tum quia, Nego resolvi fidem in aliquid non revelatum. Nego item, quod veracitas Dei non credatur propter revelationem. Tum quia, etiam positò hoc, quod assumitur, magna disparitas est: quia cum resolvitur fides in veracitatem Divinam quamvis non revelatam, adhuc resolvitur in aliquid Divinum & summè ex objecto certum, quod in praesenti non contingeret. Tum quia, pone, dum volo elicere Syllogismum Metaphysicum, superaddere mihi Deum habitum Metaphysicæ supernaturalem, eo casu erit ille actus supernaturalis, & certus certitudine principii, nullo autem modo certus certitudine objectiva summa. Ergo & in praesenti idem dicendum.

RESPONDET Quartò. - Quod licet omnes actus fidei, qui propriè & strictè dicuntur fides, sint propter revelationem, quales sunt omnes assensus Mysterii exhibiti; dantur tamen actus, qui strictè non sunt fidei, ut sunt actus circa principia fidei; qui tamen eliciuntur ab habitu fidei. Et sicut ab habitu poenitentiae eliciuntur multi actus, qui non sunt poenitentia, ut

ut gaudium de peccato vitato. Sic & in presenti.

CONTRA. Nego quod assensus principiorum fidei, non sint rigore actus fidei. Deinde quamvis multi sint actus penitentiae, qui non sunt penitentia, sumta pro quadam amaritudine & inquietudine; nulli tamen sunt ejus actus sine suo specificativo; nam gaudet de peccato ablato in quantum dissono. v. g. naturæ intellectuali. Nullam autem specificativum fidei, in innitentia principio: Quæ sunt eadem, &c.

RESPONDETUR Quinto ex Eodem. Aliud esse applicare regulas Logicas Universales ad hanc illationem, & ex illis regulis probare hanc esse bonam illationem, & hoc pertinet ad Logicam, non ad fidem; aliud verò est cognoscere in particulari hanc esse bonam illationem, absque alia applicatione regularum Logicæ, & hoc facit fides: nam rusticus, qui nihil unquam audit de illis præceptis, discurret in plurimis assensibus, assentiturque firmissimè.

CONTRA. Tum quia querere restat, ut videatur fides, idque notitiam innitente motivo sibi proportionato, quod hæc in particulari illatio, sit bona. Tum quia, quod adfertur de rusticis non convincit; nam illi, licet non regulent suos illos assensus per principia universalis, & Logicam artificialem, regulant tamen illos aliquo æquivalenti, & per Logicam naturalem, inveniendò semper specificativum proprium illi illationi; non ostenditur autem, quodnam sit specificativum, dum assentitur huic in particulari illationi, pertinens ad fidem. Tum quia, in illo assensu, condistinguenda sunt duæ formalitates, formalitas assensus præcisè ex vi motivi, quod est revelatio, secunda formalitas, ratio assensus ex cognitione bonitatis illationis, etiam in particulari, & de hac formalitate quæro, quodnam habeat sui specificativum, & quidem condistinctum ab eo, quod habetur in aliis assensibus scientificis, advertentibus hanc in particulari illationem, esse bonam, si autem non habet fides, eo casu proprium sui specificativum, sequitur, quod non attendat fides, quæ talis, illi partiali illationi.

PROBATUR Secundò. Quia scilicet sequeretur assensus fidei non esse certiores assensibus naturalibus, eo, quod certitudo utriusque innitatur eidem motivo, nempe bonitati illationis, saltem secundum illam formalitatem, secundum quam illi bonitati inniteretur.

PROBATUR Tertiò. Physica non innititur revelationi in suis actibus. Ergo nec principis Logicis fides: sicut enim revelatio quæ talis, est extra latitudinem physicam; ita non revelatum: Ly Quæ sunt eadem, est extra latitudinem fidei.

OBJECIT Primò Lugo. Videtur esse supra omnem facultatem intellectus etiam per potentiam obedientialem, quod assentiatur aliqui objecto propter aliud, & tamen non attendat ad connexionem unius cum alio: hoc enim est assentiri propter aliud.

RESPONDETUR. Impossibile est assentiri uni propter aliud, & non attendere ad connexionem objectivam & proportionatam, quæ in presenti est in hoc: quia hoc quidem dictum, & illud dictio est: hoc ipso enim & esset illic assensus propter aliud, ut supponitur; & non esset, quia non esset propter connexionem: hæc enim in presenti verbis differunt, possibile tamen est assentiri propter aliud, & non attendere ad connexionem Logicam seu improporcionatam: quia potest in principio, cui innititur connexio Logica, non invenire habitus sui specificativum & in particulari fides.

INSTAT Idem Primò. Si hoc esset possibile; posset etiam intellectus assentiri Incarnationi, post cognitam revelationem, & tamen non assentiri propter revelationem.

RESPONSUM. Si non attendatur ad connexionem objectivam, seu connexionem dicti & dictiois, non poterit assensus fidei, præberi Incarnationi, post cognitam revelationem, poterit tamen, quamvis non attendatur ad Logicam revelationis cum Incarnatione connexionem.

INSTAT Secundò. Cognitio bonitatis illationis per nos præsupponitur & prærequiritur. Ergo influit non aliter, quam movendo. Ergo repugnabit intellectum tunc assentiri, & non moveri bonitate illationis.

RESPONDETUR. Dupliciter aliqua præsupponuntur à fide. Primò, tanquam resolutoria, Secundò, tanquam applicativa resolutoria; illa quæ præsupponuntur tanquam resolutoria, movent. Sed nec sic præsupponi bonitatem illationis, quæ autem præsupponuntur tanquam applicativa resolutoria, non movent; rationes enim applicantes, non sunt rationes formales. Et sic præsupponitur bonitas illationis.

INSTAT Tertiò. Fideles rustici assentiuntur Mysterio fidei propter testimonium DEI, sicut assentiuntur aliis rebus propter testimonium hominum, licet cum majori adhesionem. Si autem deberent assentiri diverso modo, deberent de hac obligatione moneri, quod non fit.

RESPONDETUR. Cum supponat Lugo fideles rusticos non moveri bonitate illationis Logicæ, sed solâ connexionem inter dictum & dictio-

nem,

R. P.
THE MŁOD
ZIANOWSKI
Tbm. Aet. Z:
D. VI

nem, hoc ipso non attendunt ad bonitatem illationis Logicam, moneri etiam non indigent: quia dicere, assentiri propter revelationem, æquivalere huic, quod est dicere, noli assentiri propter aliud, quod non est revelatio.

INSTAT Quartò. Quando aliqua objecta ita se habent, ut unum non sit aliud, & habent entitatem sufficientem, ut possint agnoscere sine alio, non est, cur noster intellectus, non possit seorsum in illud tendere. Auctoritas autem Divina & Incarnatio, ita se habent.

RESPONDETUR. Concessum esse in Præmissis, quod perfici possit Syllogismus Fidelis, etiam per tres distinctos actus, non tamen illum specificandum esse à principio, quæ sunt eadem, adeoque necdum fore illum hoc sensu discursum formalem.

INSTAT Quintò. Potest voluntas diverso actu velle finem, diverso media, & interdum utrumque, uno. Ergo etiam & fides poterit attingere sua subiecta etiam diversis actibus.

RESPONDETUR. Concedendo Totum, secundum dicta immediata.

OBJICIT Secundò Rec. Suar. Probans reperiri in fide rationem discursus stricti virtualis. Discursus virtualis, est unica cognitio, unius ex alio: quilibet autem assensus fidei, ita se habet.

RESPONDETUR. Discursum virtuale materialiter acceptum, non esse nisi cognitionem unius ex alio. Discursum autem virtualiter strictè sumptum, & prout discursus est, importare assensum propter, *Quæ sunt eadem*. Et sub hac formalitate, negatur fides, etiam virtualiter, esse discursivam.

INSTAT Primò. Visio Beata est discursiva virtualiter, Ergo & fides.

RESPONDETUR. Positâ veritate Antecedentis, disparitatem esse: quia scilicet Deus visus, etiam connexionem Logicam, manifestat; nulli autem connexionem Logicam, manifestavit fidei Deus.

INSTAT Secundò Item. Cum hæ virtualitates in actu fidei sint solum Metaphysicæ, & consideratæ per nostros Conceptus, non tollunt quod ipsæ sunt physice, & à parte rei.

RESPONDETUR. Nostri conceptus non tollunt id, quod est actus fidei physice, sed nego principium supernaturale, quod est fides, defacto & realiter concurrere ad assensum circa bonitatem Consequentia, quantumvis non revelatam.

INSTAT Tertiò. Si fides non esset discursiva virtualiter, secundum quod discursus importat bonitatem Consequentia, id ideo esset, quia assensus fidei debet esse certissimus. Sed hoc nihil probat: quia etiam cognitio DEI debet esse certissima, & tamen potest DEUS pro motivo cognitionis suæ, habere bonitatem illationis.

RESPONDETUR. Ut ex vi motivi, non sit aliquis actus certissimus nihil obest; quia Deus utpote omniscius & omnimodè sciens debet moveri quibuscunque motivis sciendi, & in hoc servat conditionem omnimodè scitivi. Jam autem fides non debet moveri quocunque motivo, sed non nisi revelato & summe certo.

OBJICITUR Tertiò ex istis, quæ adfert Ripalda, de possibilitate discursus naturalis. d. 55. de Enten. 18. Non repugnat discursus supernaturalis, quemadmodum, neq; apprehensio & assensus supernaturalis; cum discursus sit processio unius cognitionis ex alia, quam quid repugnat esse supernaturalem? Ergo non repugnat supernaturalis Conclusio.

RESPONDETUR. Concedendo Totum. Nego tamen id defacto esse: quia nihil deest apprehensioni & assensui, ut sit supernaturalis, sicut & ipsi fidei actui, nihil deest, ne sit supernaturalis; deest autem defacto ne conclusio sit supernaturalis, & actus fidei sub formalitate Conclusionis: quia principium: *Quæ sunt eadem*, defacto, non est revelatum.

INSTABIS Primò. Sicut Conclusio assentitur objecto per aliud ita electio amat medium propter aliud, Ergo utrumq; erit supernaturale.

RESPONDETUR. Non titulo dependentia unius ab alia deficit à supernaturalitate Conclusio, sed titulo non habita revelationis de principio. *Quæ sunt eadem* quod tamen formalisat Conclusionem. Nihil autem deest, quominus intentiones & electiones sint supernaturales.

INSTABIS Secundò. Præmissæ naturales evidentes de objecto supernaturali, inducere possunt ad conclusionem, non naturalem, Ergo supernaturalem.

RESPONDETUR. Concedendo Totum; procedit enim Argumentum non de eo, quod est defacto, sed de posse, seu possibili, nam cur id defacto non fiat, assignata est ratio.

INSTABIS Tertiò. Cognitio quæ supra naturam non est Conclusio, potest fieri contingenter Conclusio. Ergo cognitio supernaturalis, quæ suapte natura non est Conclusio, potest fieri materialiter Conclusio.

RESPONDETUR. De possibili non esse difficultatem. Circa id quod est defacto, disparitas est: quia nihil deest quominus propositio evadat Conclusio, deest autem ne propositio supernaturalis evadat in Conclusionem supernaturalem quâ talem, nempe formalisativum Conclusionis; quod quia non est revelatum fit, ut Conclusio quâ Conclusio, non sit revelata.

OBJICIT Quartò Ripalda. Scientia in Christo infusa, erat supernaturalis, fideles etiam per actus fidei infusæ, arguunt ex revelatione Dei, Mysterium revelatum: plura item iudicia prudentia infusæ, quæ immediata non sunt, per discursum.

discursum habentur, & si defacto præmissæ supernaturales præcedunt, non est ratio, quare non asseramus Conclusiones supernaturales inferri; Connaturalius enim est ex præmissis supernaturalibus supernaturales Conclusiones inferri.

RESPONDETUR. Quod attinet ad primum, quidquid sit de Antecedente, Disparitas est; quia datur principium supernaturalisativum illorum discursuum, non datur autem principium supernaturalis, quod eliciat Conclusionem quâ talem, tanquam actum fidei. Prudentiæ supernaturalis dantur actus supernaturales, quia datur principium supernaturale ipsa prudentia, quæ dum utitur discursu, utitur tanquam applicativo, merèque naturali. Connaturalis autem esset elici Conclusionem supernaturalem, si adesset principium formalisativum Conclusionis in ratione revelatæ; secus si desit: ut de facto deest revelatio, circa principium: Quæ sunt eadem.

OBJICITUR Quintò ex Istis, quæ sibi opposuit, nobiscum sentiens Quiros I. parte tr. d. 5. n. 11. Conclusio moveatur motivo præmissatum, & in illas resolvitur. Ergo Conclusio moveatur saltem partialiter ex motivo præmissatum supernaturalium. Sed actus specificatus ab objecto formali supernaturali, supernaturalis est. Cur enim ex principio supernaturali extrinseco supernaturalitatem sortietur, & non ex motivo formali intrinseco?

RESPONDETUR. Quòd Conclusio moveatur motivo præmissatum non absolute, sed ut innitenti principio, quæ sunt eadem, eoque non revelato. Ex dictis alibi, potest esse actus naturalis habens motivum supernaturale, non rectè ergo inferretur supernaturalitas ex motivo. Paritas adlata non tenet. Ratio quia principium illud extrinsecum ordinatur per modum causæ, ad dandam speciem sui ordinis, hacque intentione ponuntur talia principia à Deo. Jam autem motiva ex dictis alibi, non ordinantur ad dandam speciem sui ordinis.

INSTABIS Primò. Præmissæ influunt efficienter in Conclusionem, Ergo & ipsa Conclusio deducta ex præmissis supernaturalibus ut supponitur, erit supernaturalis. Antecedens probatur. Tum quia causa, ut producat effectum, nequit pendere ab aliqua re, quæ ipsi nullas vires addit, ad quidem requireret confortum illius. Tum quia, ad quid aliud assensus requireret existentiam motivi. Tum quia, aliàs habitus, esset tota ratio agendi, & potentia naturalis non nisi conditio.

RESPONDETUR. Quando efficiens requirit aliquid in eodem genere, debet una illud aliud, vires agendi censeire. Jam autem motivum, requiritur in genere motivi, adeoque in alio genere ab efficiente. Habitus autem non erit tota ratio agendi: quia vitalitatis inclusæ in actibus

supernaturalibus, nullum daretur principium vitale, deberemusque nos ad illam, & quidem in negotio salutis, merè passivè habere, quod est contra Tridentinum.

INSTABIS Secundò. Posito etiam quòd Conclusio pendeat saltem directivè à præmissis, scilicet qui adhuc debet Conclusioni ejusdem ordinis seu supernaturalis, quemadmodum connaturaliter amor supernaturali, debetur cognitio dirigenz supernaturalis.

RESPONDET QUIROS. Causæ posse tribui majorem perfectionem, quàm tribuatur effectui, consequenter poterit esse directivum supernaturalis, licet quod dirigitur sit naturale. Deinde dici potest, per accidens esse ad Conclusionem, quod credantur præmissæ actu supernaturali fidei; posito tamen, quòd taliter credantur, nondum connaturaliter sequi debet Conclusio supernaturalis: quia tunc non nisi sequeretur, ut dictum aliàs, si adesset illius formalisativum revelatum, quod non habetur; pendet autem à Dei libertate hoc revelare non illud.

INSTABIS Tertio. Ex iis, quæ habet, Talis Conclusio est propter motivum præmissatum, præmissæ autem sunt revelatæ, Ergo & ratio assentiendi Conclusioni erit revelata.

RESPONDETUR. Talem Conclusionem esse propter motivum præmissatum, non utique, sed prout innituntur principio, quæ sunt eadem uni tertio, quòd non est revelatum.

INSTABIS Quarrò. Ad eandem speciem pertinet assensus medius & immediatus, propter idem motivum. Jam autem assensus Conclusionis, est mediatus propter revelationem.

RESPONDETUR. Negando assensum Conclusioni, ut Conclusio est, esse etiam mediatus propter revelationem absolute sumptam. Cum sit propter revelationem, prout innitentem principio non revelato: Quæ sunt eadem.

INSTABIS Quintò. Dissensus Conclusioni deductæ ex revelatis est hæresis, Ergo & assensus, est fides.

RESPONDETUR. Dissensus Conclusioni, quæ Conclusio est non esse hæresim: quia non est contra revelationem; licet objectum Conclusionis, possit continere hæresim.

QUÆSTIO III.

De necessitate Fidei.

SUPPONUNT Primò Omnes. Fidem esse necessariam ad salutem.

RATIO. Quia sine fide impossibile est placere Deo; explicuitque id Tridentinum Sess. 6. cap. 8. Eam verò fidem supponant Catholici, debe-